

rum alias *Sancti stephani Wyenne* tanquam *Executoris unici* Brevis dati a *Bonifacio IX.* *Chunrado Amman de Chaufourni* baccalario in decretis ad consequendum Beneficium si cum cura viginti quinque, si uero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti. Literae hae diriguntur ad Episcopum *Patauiensem*, qui non nominatur; erat vero *Georgius I. Hohenlobicus*, et ad Capitulum. Notae chronologicae abscissae sunt, sed Breve *Bonifacii* insertum datum est anno *Pontificatus primo*, id est, 1390. Cum igitur *Antonius* in munere Praepositi non nisi a. 1391. confirmatus fuerit, Literae ipsae ad hunc, vel sequentem annum erunt referendae. Vide de eo *Specimen Hist. Cancellarior. Univ. Vien.* p. 44.

DXLIV.

U. III. Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 219. 4. currente calamo perscriptus continet: I. *Lecturam in Librum III. Sententiarum Petri Lombardi* hoc initio: *Circa primam distinctionem 3^{ij} queritur primo Vtrum dei filius in temporis plenitudine assumpserit humanitatem in suppositi unitatem &c.*

II. fol. 178. p. 2. Executitur *Quaestio: Utrum super aliquo decalogi precepto possit fieri dispensacio. R. sic. super obseruacione sabbati de facto dispensatum est &c.*

III. fol. 185. Incipiunt *contradictiones sancti Thome. In articulis subscriptis contradixit sibi fra-*

ter thomas tam in summa quam in scriptis (in Libros Sententiar.) unde frequenter videtur dicere contraria. Referuntur dein Articuli. Memini obiter, simile quid me olim impressum vidisse titulo Contrarietatum, ni fallor, S. Thome.

IV. fol. 188. *Articuli in quibus magister (Sententiar. Petr. Lombardus) non tenetur. Etiam hi feruntur olim editi, addito subinde, non teneri a Magistris Parisiensibus.*

V. a fol. 189. ad finem *Subplementa ad Lecturam supra indicatam, et alia Notata theologica, unde Codicem Professoris cuiusdam Vien. fuisse liquet. Non tamen convincit manus moderna, quae Thecae anticae inscripsit: Varia Notata D. Haselpachij, nullo argumento adlato.*

DXLV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 469 Folior. 398. f. lineis longis luculente exaratus et rubricis distinctus continet I. *Quaestiones fuse tractatas in Librum III. Sententiarum Petri Lombardi, quarum prima: Vtrum solius verbi persona sit humane nature personalis subsistentia? et postrema: Vtrum lex christi evangelica et diuina a lege eterna determinata sit eminenter continens omnem aliam legem ut perfecte vite regula mencium in deum directiua? ad cuius calcem legitur: Et sic est finis terciij libri sententiarum Deo gratias Anno &c. (14) XXIII^o.*

II.